

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Prelacio h cum fonte primo

Nichil in hoc seculo excellencius
sacerdotibus, nichil sublimius
episcopis reperiri potest ut cum
dignitatem eorum
oculis demonstramus, digne noscamus
quid sumus et quod sumus professione,
actione potius quam nomine
demonstremus ut nomen congruat
actioni et actio respondeat nomini,

ne sit honor sublimis
et uita procliuis, ne sit deifica professio
et illicita actio, ne sit religiosus amictus
et irreligiosus profectus, ne sit gradus
excelsus et deformis excessus,

ne locucionem simulemus columbinam
et mentem habeamus caninam,
ne professionem monstremus ouinam
et ferocitatem habeamus lupinam,
ut digne nobis
respondeatur per prophetam a Domino:
Populus hic labiis me honorat,
cor autem eorum longe est a me.

Ambrosius ibidem (in suo pastoralis).

Haec vero cuncta, fratres,
ideo nos praemisisse debetis cognoscere,
ut ostenderemus
nihil esse in hoc saeculo excellentius
sacerdotibus, nihil sublimius
episcopis reperiri; ut cum
dignitatem episcopatus episcoporum
oculis demonstramus, et digne noscamus
quid sumus, et quod sumus professione,
actione potius quam nomine
demonstremus; ut nomen congruat
actioni, actio respondeat nomini;
ne sit nomen inane, et crimen immane:
ne sit honor sublimis,
et uita deformis: ne sit deifica professio,
et illicita actio: ne sit religiosus amictus,
et irreligiosus profectus: ne sit gradus
excelsus, et deformis excessus;
ne habeatur in Ecclesia cathedra
sublimior, et conscientia sacerdotis
reperiatur humilior:
ne locucionem simulemus columbinam,
et mentem habeamus caninam:
ne professionem monstremus ouinam,
et ferocitatem habeamus lupinam;
ut digne nobis
per prophetam respondeatur a Domino:
Populus hic labiis me honorat,
cor autem eorum longe est a me
(*Esai.* XXIX, 13).

Auctor incertus, *De dignitate*
sacerdotali, 3 (PL 17, col.570B-C).